

Q. D. B. V.
ANNUA MEMORIA
MELCHIORIS
CASPARI WIN-
CKLERI,

Hereditarii, cum viveret, in Ober-Ullersdorff
& Sommerau/

jubente,
de

LUSATORUM
MERITIS

in

REMPUBLICAM LITERARIAM

die 2. Junii Anni M. DCC. XIIX.

hora octava matutina

in

AUDITORIO GYMNASII PRIMO

brevem Orationem

habebit;

simulque

OMNES PATRONOS,

ET REI LITERARIAE

AESTIMATORES

AMICOSQVE

perofficiose atque decenter

invitat

M. Adam Erdmann Mirus, Gymn. Con-Rect.

ZITTAVIAE,

Charactere Michaelis Hartmanni.

Hist. Saxon.

H.

749,28 B.

Hist. Sax. eccl. 749

Esse Geyr'schen
Johann Christian König.
Hess. Hofbibliothek.



Ermanos antiquos feram & agrestem vitam egisse, quaeque maxima ex parte belli studiis paruerit; non prolixa probatione indiget. Vel solus Cornelius Tacitus sufficientissimum testimonium de inculta eorum barbarie, parumque aliena a belluarum feritate perhibere potest. Sed ex quo, deposita barbarie, ad cultiorem vitae rationem sunt adducti; inveteratum literarum odium in tantum amorem convertere coeperunt, ut sapientiae studio alias nationes vel aequent, vel omnino superent. Non tamen unius seculi res fuit, literarum gloriam in Germania erigere. Accreuit potius successu temporis, ut aliae provinciae citius, tardius aliae literarum lumen acciperent. Carolus M. quidem summa ope nixus est, ut cum Sacrorum Christianorum incrementis Germaniam solidiore literarum cultura impleret. Nec forsan spes sefellisset, nisi multorum successorum aetas in turbulentissima incidisset tempora. Germania enim continuis bellorum fluctibus, a Praefule potissimum Romano concitatis, ita agitata est, ut rapinis, incendiis ac caedibus pateret, & de cultura literarum vel parum, vel nunquam cogitare posset. Accessit ingruens barbaries a Scholasticis potissimum excitata, quae omne literarum lumen sive foedavit, sive omnino delevit. Sed ex quo post expugnatam a Turcis Constantinopolin pristinus literarum nitor Italiae Galliaeque est redditus; spargere quoque veluti faustum aliquod sidus radios suos in Germaniam coepit. Tam grata deinceps augmenta habuit, ut nunc omnes in ea provincias solidissima sapientia impletas cernere liceat. Frustra Bailletus, Bouhoursius, Perronius, Perraultus aliique persuadere exteris conantur, Germanos sub asperiore coelo natos, ingeniis quoque asperis instructos & ad literarum culturam minus idoneos esse. Criminatio haec tantum abest a veritate, ut Germani nullis exterorum ingeniis cedant, nec in colendis elegantioribus literis quid in se desiderari patiantur. Excellerent potius, vel omnino superarent Gallos, si adminiculis debitis semper essent instructi. Dolendum omnino est, rem domi angustam plurimis obesse, ut de pane lucrando solliciti, solidiorem doctrinam abjiciant. Solent Germani in seligendis ingeniis non eam adhibere curam,

Christoph. Michaelis Hartmann

ram,

ram, quam in exteris nationibus animadvertimus; sed sine delectu Juvenes applicant illis artibus, quas vel invito suscipiunt animo; vel plane non capiunt. Coguntur plerique a teneris annis esse intenti pluribus studiis; nescii, quae functio aliquando istorum industriam efflagitaverit, si exterae nationes ad artem aliquam singularem accommodant animum. Inde fit, ut successu temporis saepe aliis rebus tractandis praeficiantur, quas superficiali tantum studio perceperunt. Inde fit quoque, ut vix infimis subselliis digni ad altos honorum gradus exornandos evehantur; & inverso ordine ad pulverem scholasticum abjiciantur, qui de Republica literaria optime possent promereri. Praetereo, quod minus pateant bibliothecae; nec semper Patronorum liberalitas ista reperiatur, qualem studia literarum requirunt. Vitia haec patriae sunt; non ingeniorum, quae pleno cursu ad sapientiam contenderent, nisi cum incommodis his acerbissimis luctandum esset. Si denique inter Germanos multi ignorantes reperiuntur; cogitemus, ubique terrarum doctos cum indoctis, prudentes cum imprudentibus esse permixtos. Non tamen in tot tantisque obstaculis Germani exteris nationibus vel eruditione, vel scriptis unquam cesserunt. Tot potius tantosque viros terra protulit, qui in omni disciplinarum genere scripta solidissima reliquerunt. Decantatissima sunt nomina Theologorum cum aliorum, tum potissimum Chemnitii, Gerhardi, Balduini, Hutteri, Dorschei, Dannhaueri, Hulfemanni, Varenii, Schmidii, Scherzeri, Calovii & Geieri, quos in memoriis Theologorum recenset Summe Rev. D. Pippingius, & Georgius Henricus Götzius prolixius repetit. Tulit in Jure Germania Bornium, Zieglerum, Strückium, Thomafium, Bergerum, Rittershusium, Wesenbecium, Godofredum, pluresque alios. Veneramur adhuc manes virorum de arte salutari meritorum Gesneri, Smetii, Sennerti, Horstii & innumerorum aliorum, quos illi recensent, qui artis Medicae literariam historiam concinnarunt. Nec in Philosophicis & Philologicis studiis minor numerus Germanorum habetur. Si desideras Criticos; habes Melanchthonem, Sturmium, Rittershusium, Berneggerum, Boeclerum, Hottingerum, Conringium, Lambecium, Thomafium, Daurmum, Wasmuthum & Morhofium. Si Oratores arrident; repete memorias Melanchthonis, Caselii, Buchneri, Berneggeri, Freinshemii, Boecleri, Masenii, Schraderi, Schurtzfleischii & Schubarti. Si dubitas de Poëtis, ignota nemini esse possunt merita Lotichii, Sabini, Taubmanni, Stigellii, Fürstenbergii, Barthii, Rappolti, & Felleri. Praetereo Opitium, Hofmannum, Lohensteinium, Mühlportium, Flemmingium, Gryphium, Weisium, Harsdörfferum pluresque alios, qui in Poësi Germanica excelluerunt. Nec minor Historicorum copia commendat Germanorum industriam. In grata omnium memoria versantur Johannes Gerhardus Vossius, qui Palatinatum sibi natale solum vindicat, licet in Belgio

gio

gio vixerit, Johannes Henricus Boeclerus, Samuel Buffendorffius, Christophorus Lehmannus, Hermannus Conringius, Johannes Philippus Dattius, Johannes Schleidanus, Londorpius, Henricus Meibomius, Albinus, Casparus Sagittarius, Guilielmus Leibnützius, alique plures. Non denique in Germania vel provincia vel civitas aliqua nominari potest, quae non de re literaria haecenus immortaliter sit merita. Habet Johannes Burcardus Menckenius in Dissertatione quadam Instauratores Graecarum & Latinarum literarum in Misnia. Molitur Hassiam literatam prolixo opere Kalkhofius; Pomeraniam Potzernus, edito iam schediasmate quodam de isto instituto. Recenset eruditos Ascanienses Reimannus; Marchicos Georgius Petrus Schulzius; Silesiam eruditam sistit Johannes Henricus Cunradi, cuius Silesiam Togatam Schindlerus edidit. Prolixissimus in recensendis eruditis est Martinus Hanckius. Theologos in Svevia bene meritos recenset Georgius Serpilius, alii aliarum provinciarum eruditos delineant. Praetereo memorias tam Academia- rum, quam urbium diversarum, h. e. Virorum de Ecclesia, Republica & Scholastica bene meritorum elogia, quae in omnium manibus habentur. In tanto tamque fertili literarum seculo nunquam cessavit de republica literaria bene mereri dilecta nostra Lusatia. Vel sola Analec- ta Faكتورum Zittaviensium ostendant, quantum Magnifico Dn. Auctori, non solum civitas, sed & Lusatia tota, quin & literatus orbis debeant. Provocare possem ad Scripta Theologica, Juridica, Medica, Historica, Politica & Geographica virorum celeberrimorum, nisi illa in ipsa Oratione WINCLERI anniversaria essem producturus. Permittite igitur, Splendidissimi Zittaviae PROCERES, PATRONI & FAUTORES SUMMI, ut crastino die, quem pro more Gymnasium nostrum habet festum; permittite inquam, ut de meritis Lusatiorum in rempublicam literariam verba faciam. Efficite pro vestro favore ac benevolentia, ut, post finita sacra matutina, exoptatissima vestra praesentia impleatis auditorium, auresque benevolas dicenti praebeatis. Hoc sicuti verbis submissis & officiosis a Vobis peto atque contendo: sic ad omne obsequii genus me paratum, imo paratissimum inveneritis.

